DIÖZESE
INNSBRUCK

Digitales Archiv

Weihebrief

Pfarrarchiv St.Michael Gnadenwald

22.08.1492

Digitales Archiv

Shelf Mark: 6.7306.A72

CC-BY-NC-ND-Lizenz (4.0)
Creative Commons Namensnennung - Nicht kommerziell - Keine Bearbeitung 4.0 International Lizenz

urn:nbn:at:at-dai-44550

Visual Library

Conradus dei et aplice sedis gratia Epus Bellinensis Reverendissimi in xpo patris et domini domini Melchioris Epi Brixinensis in pontificalibus suffraganeus generalis Universis et singulis xpifidelibus presentibus et futuris Salutem in domino sempiternam Universitati vestre notum facimus per presentes Quod nos in ecclesia filiali sancti Michaelis auf dem wald plebis absam Brixinensis dioc altare ad dextrum cornu iuxta consuetudinem sancte romane ecclesie et sanctorum patrum instituta In honore dei omnipotentis et omnium sanctorum ac in memoria et nomine sanctorum Beatissime Marie virginis et specialiter Visitationis eius ad Elizabeth Sebastiani martiris et Wolfgangi epi In quo altari reliquias sanctorum Luce ewangeliste Laurencii Vincencii Theodori de societate sanctorum Achacii Mauricii Gereonis Sigismundi Marthe Alexandri Lucie Agnetis et undecim milium virginum et martirum et aliorum sanctorum quorum nomina scripta sunt in libro vite includimus et sepelivimus solemniter consecravimus Insuper statuentes festum dedicationis predicti altaris ipso die sancti Michaelis perpetuis futuris temporibus celebrari Cupientes preterea ut dicta ecclesia et altaria in ea sita debitis venerentur honoribus et a xpifidelibus iugiter frequententur Omnibus et singulis utriusque sexus xpifidelibus vere penitentibus confessis et contritis qui in Nativitatis Circumcisionis Epiphanie Cene domini Resurrectionis Ascensionis penthecostes Trinitatis ac Corporis domini nostri Jhesu xpi ac gloriose semper virginis Marie quotiens in anno celebrentur Beatorumque Petri et Pauli aliorumque apostolorum Necnon feria quarta penthecostes Dedicationis ecclesie altarium ac patronorum eius festivitatibus causa devotionis ad eandem confluxerint et devote visitaverint seu manus eidem porrexerint adiutrices De omnipotentis dei misericordia Beatorumque Petri et Pauli apostolorum eius confisi suffragiis Quadraginta dies indulgentiarum de iniunctis penitentiis misericorditer in domino relaxamus Harum testimonio litterarum sigilli nostri appensione munitarum Datum et actum in ecclesia predicta vicesima secunda mensis augusti Anno a nativitate domini Millesimo quadringentesimo nonagesimo secundo

~~[illegible]~~
~~[illegible]~~

Die Kirch und de año 1492.
Altar Weihe betreffend.

wald